



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum  
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de**

**Coloniæ Agrippinæ**

8. A quo, & quando, & qua obligatione sit missa audienda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40916**

*A quo, & quando, & qua obligatione sit missa  
audienda.*

## CAPVT VIII.

**N**on à quouis missa est audienda. Cauere enim debemus audire missam à Sacerdote nominatim excommunicato, suspenso, aut interdicto, & à publico clerici percussore, & à concubinario notorio & denunciato, vt dicit Sylu. ver. missa, 2. §. 3. aliorum verò missas, licet excommunicati sint à iure, vel ab homine, dum non sint nominati, possumus audire, non enim tenemur ab omni excommunicato fugere, vt diximus in lib. 1. in materia de excommunicatione. Similiter etiam degradati, aut depositi missam non possumus audire, sicut nec possumus audire à nominatim excommunicato. Tempus autem obligationis solum est in diebus dominicis & festis de præcepto. In alijs diebus non tenemur, licet sint dies Quadragesimæ, nec contra hoc probat cap. solent, de consecr. d. 1. & cap. fin. de priu. in 6. vbi videtur contrarium dici ista enim capita, vt dicit Tabie. v. missa, §. 45. sunt de consilio intelligenda; nam cap. fin. loquitur de Episcopis; cap. verò solent, de omnibus, in diebus tamen quadragesimæ, & neutrum obligat sub præcepto. Est enim consilium vtilissimum quotidie audire, aut saltem quoties homo commodè potest: obligatio autem est præcepti obligantis ad mortale: qui enim non audiret sacrum, quo tempore tenetur, mortaliter peccaret, secundum omnes, sicut peccat, qui ieiunium non seruat. Obligat autem hoc præceptum omnes habentes vsum rationis, cuiuscumq; sint ætatis, sexus, & conditionis.

*Qua causa excuset ab audiendo sacro.*

## CAPVT IX.

**M**ulti sunt casus, in quibus homo excusatur ab isto præcepto Ecclesiastico; omnes tamen possunt reduci ad quinque causas, ex quibus quinque regulæ generales possunt desumi.

Prima causa est, ad vitandum damnum spirituale, proprium, aut alienum; vnde est regula: quoties ex sacro audiendo sequi